UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Homiliæ Qvadragesimales Reverendissimi D.ni P. F. Hieronymi Baptistæ De Lanvza Venerabilis memoriæ Episcopi Barbastrensis & Albarrazini, Ord. FF. Prædicatorum

Ex Hispanico idiomate in latinum perfectè fideliterq[ue] iuxta posteriorem omnium, nouamq[ue] editionem translatæ, & ab innumeris cùm S. Scripturæ, tùm SS. Patrum typographicis erroribus emendatæ ... cum triplici Indice ...

Lanuza, Jerónimo Bautista de

Antverpiæ, 1649

Svmmarivm Homiliæ Decimænonæ Seqventis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-52962

Visual Library

SVMMARIVM

HOMILIÆ DECIMÆNONÆ SEQVENTIS.

PRoponit nobis Euangeliſta dæmoniſcum, ſurdum, cœcum, & mu-
tum à Domino ſaluti reſtitutum. Articulis quinque deſcribitur. Pri-
mus: declarat Diuinâ prouidentiâ dæmones in hoc mundo permit-
ti in noſtrum emolumentum. .a. Secundus : ex diuina naſci pro- a §.1.2.3.
uidentia, multoties dæmonem in corpus accipere poteſtatem, illud- 4.
que diſcruciare, quo nobis pateat, quid agat in anima, quàm illam grauiter di-
laniet. .b. Sicut Deus illam ingrediens, cum ſit ipſa vita, vitæ peragit actiones, b §.5.6.7.
ita diabolus, cum ſit ipſa mors, mortis peragit actiones. .c. Tertius: vt in hoc ho- 8.
mine conſtet, quàm aptè diabolo nomen conueniat *Exterminans*. d. Pariter vt intel- c §.9.10.
ligamus, præcipuam hanc eſſe diaboli mentem diſcerpere & perdere hominum a- 11.12. d §.13.
nimas, ſicut aduentus Chriſti ea fuit ratio, diabolum ex animabus eijciendi. e. Quar- e §.14.
tus: vt in particulari ſingulos attendamus effectus, quos in anima dæmon operatur, 15.
ex ijs quos in huius viri corpore demonſtrauit, quem cœcum .f. ſurdum .g. mutum- f §.16.
que reddidit, licet etenim quoſdam loquaces. h. alios tamen mutos efficit, præſertim g §.17. h §.18.
ad ſuorum confeſſionem peccatorum .i. cui Deus noſtram alligauit ſalutem piiſſi- 19.
mâ ſuâ miſericordiâ vtpote remedio faciliori. k. Quintus: vt hoſtium Chriſti dete- i §.20.
gamus nequitiam, qui ex ſanctiſſimis operibus hauriebant blaſphemandi materiam, 21.22.23.
quos ex confeſſione mulieris de turba, rubore confundit. l. k §.24.25
26.27.
l §.28.

§. 1. *Poſſedit Diabolus Stagyrium. In controuerſiam venit diuina prouidentia; verum indubium eſt in noſtrum illam bonum vigilare.*

§. 2. *Quædam Deus creauit in mundo, quæ quibuſdam licet ſint nocumento porro ſunt aliis emolumento, vt dæmones.*

§. 3. *Poſuit Deus in hoc mundo dæmones, quo nos conſtringat ad ſe recurrere; hoc quoque tantum illi poſſunt, quod illis facere ipſe permittit.*

§. 4. *Dæmones dipſadas dicimus, unde ad Deum recurrendum, vt eorum refrænes malitiam.*

§. 5 Erat mutum. *Ex iis quæ diabolus in corporibus operatur, liquet quid in anima operetur.*

§. 6. *Eques, quem vidit D. Ioannes, mors dictus, diabolus eſt, Chriſto contrarius, qui vita nominatur.*

§. 7. *Equus pallidus, cui inſidet diabolus, peccatum eſt, & quocumque illud ingreditur; ingreditur & ille.*

§. 8. *Velut Rex regnum ſuum; ita animam perambulat diabolus peccatoris: collige qua ratione mortuum ſit tractaturus.*

§. 9. *Peius eſt diabolum animam occupare quàm corpus, in quod aliquoties, nullo mortali præuio ingreditur, quinimo ex Dei beneficio.*

§. 10. *Vocat D. Hieronymus diabolum Dei quæſtionarium: vt in Iob & aliis manifeſte patuit.*

§. 11. Cum fortis armatus. *Præclariſsimis rationibus probat hodie Chriſtus ſe Regem diabolo fortiorem.*

§. 12. Erat mutum. *Oppoſita Chriſtus & diabolus obeunt officia, & quiſque ſuo*

hoc in homine fungebatur

§. 13. Erat eiiciens. *Diabolum Chriſtus corporibus expellebat, qui eum venerat animabus expulſurus. Declarat D. Vincentius quæſtionem ſcitu digniſſimam.*

§. 14. Erat eiiciens. *Inſiſtebat Chriſtus eiectioni dæmonis ex anima, qui cum ipſis muſcis ſit importunior, vocatur Beelzebub.*

§. 15. Erat mutum. *Excæcat diabolus, quo perdidit Dauidem, & ſenioribus nocuit Ezechielis.*

§. 16. *Aures occludit diabolus animæ: paſſer eſt, qui verbum ſurripit.*

§. 17. *Eos qui tacere deberent reddit diabolus loquaces, vt prophetas Regis Achab.*

§. 18. *Magno ſunt detrimento dæmones loquaces, quibus imperatur, velut Pythonibus, ſilentium.*

§. 19. *Loqui conuenit in confeſſione, & mulier lapidatur taciturna.*

§. 20. *Oris confeſſionem poſtulat Chriſtus; nec enim cordis ſufficit contritio, vbi oris confeſſio eſt poſſibilis.*

§. 21. *A principio voluit Deus confeſſionem, hanc in lege præcepit, & coram D. Ioanne illam agebant, & licet inabſolutam, non tamen inutilem.*

§. 22. *Vetus illa & S. Præcurſoris ſine abſolutione confeſſio noſtræ demonſtrat vt excellentiam, ita & facilitatem.*

§. 23. *Non poteſt ſalus tua faciliori, quàm verbis tuis, alligari remedio.*

§. 24. *Vitulos labiorum poſtulat Deus, id eſt claram & inexcuſatam peccatorum confeſſionem.*

§. 25. *Detractâ confitere laruâ, ne illam Reginæ prophetæ Abiæ conferas obiectam, ſed nec illam Ananiæ, & Saphiræ D. Petro.*

§. 26. *Committere peccata, non confiteri, pudeat. Optimus Confeſſarius B. Ludouicus Bertrandus.*

§. 27. In Beelzebub eijcit dæmonia. *Hoc Iudæorum iudicium, pectoris eorum prodit malitiam. Aſpidum ouis comparantur D. Cypriani attexitur argumentum.*

§. 28. Extollens vocem mulier. *Conuincit illos D. Cypriani diſcurſus vt efficax, ita & ſubtilis, mulieriſque de turba teſtimonium.*

HOMILIA XIX.

DE DÆMONIO MVTO.

Dominica tertia Quadrageſimæ.

Erat Ieſus eijciens dæmonium & illud erat mutum. Luc. 11.

☞ 1

I. Tres hic perſonæ deſignãtur.

TRes hominum ſpecies ſacri Euangelij linteo nobis diuinus ille pictor, & hiſtoriographus Lucas exhibet, quorum vnuſquiſque ſibi proprio ſedulus intẽdit officio: ſunt Dæmon, Chriſtus, & Phariſæi. Dæmonis munus eſt nocere, malum inferre, quocirca illum delineat hominis pauperis arcem corporis occupantem, infinitis miſerum malis torquentem, quem ablatis cunctis ſenſibus, ſurdum, cæcum mutumque reddiderat: ſibi velut firmiſſimum præſidium. Chriſto incumbit ſaluare, vt autem hoc declaret, nomen ſuſcepit Ieſus, quod præfert Saluatorem, vnde illum mortalibus offert hoc in illo homine munus obeuntem, eum de ore leonis infernalis extrahen-

tem,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN